

Ratio est, quia quamvis per martyris mortem quatenus est passio et habet rationem martyrii, non violetur, sed potius consecretur ecclesia, can. *Quamvis* 3, dist. 21 et c. *Fundamenta*. 17. de *Election*. in 6, polluitur tamen per illud, quatenus consideratur ut injuriosa actio, cum ut talis revera sit sacrilegium et injuriousum homicidium, *Glossa* in c. un. h. t. in 6. §. *Sanguinis*, unde ad propositum citari solet ille versus :

*Actio displicuit, passio grata fuit.*

Cæterum sicut sanguinis effusio, ita homicidium violat ecclesiam, si causa ponitur in ipsa ecclesia, etsi mors primum extra ecclesiam sequatur, et e contra etsi causa ponatur extra ecclesiam, vel in portico, vel turri, aut spelunca ecclesiæ, non violatur, licet injuria affectus ad ecclesiam confugiat, et ibidem moriatur. *Sylvester*, loc. cit.; *Azorius*, loc. cit.; *Glossa proxime* citata; *Barbosa*, loc. cit. n. 16 et seq., cum communi, et probabiliori aliorum. Ratio est, quia juxta jura, n. 45, citata, sufficit, et requiritur, ut injuriosa causa homicidii ponatur in ipsa ecclesia, ubique deinde per accidens sequatur effectus.

20. Item per illicitam seminis effusionem : et qualem? — III. Violatur ecclesia per voluntariam et illicitam seu peccaminosam seminis effusionem in illa factam. Rursus unanimis, claris juribus c. un. h. t. in 6, ibi : « Si ecclesiam seminis effusione pollui contingat. » Nec refert, an simplici pollutione, fornicatione, adulterio, sodomia, etc. contingat. arg. c. *Significasti*. 5. de *Adult*. et can. *Ecclesiis*. 20. de *Consecrat*. dist. 1, ibi : « Cujuscunque semine pollutæ fuerint. » *Barbosa*, *de Offic. et potest. episc. allegat.* 28, n. 42, et alii. Secus est, si contingat, dormienti in somno, *Glossa* in cit. can. *Ecclesiis* §. *Semine*. communiter recepta, etsi prius dedisset causam, vel evigilans de habita oblectaretur. *Barbosa*, loc. cit. n. 43, quia tunc non tam ipsa seminis effusio, quam antecedens positio causæ, vel subsequens voluntaria oblectatio peccaminosa est. Pariter non violatur ecclesia per pollutionem, quam quis invitus patitur, nec per menstruum foeminarum decidens. *Barbosa*, loc. cit. Violatur tamen probabiliter per copulam conjugalem extra casum necessitatis in Ecclesia habitam, ut docet *Navarrus* in *Manual*. cap. 27. n. 257; *Barbosa*, loc. cit. n. 47; *Sanchez de Matrim.* lib. IX, disp. 15, n. 10, cum *Glossa* communiter recepta in c. un. h. t. in 6. §. *Pollui*. arg. c. *Significasti de Adult*. ibi : *Publice*. Ratio est, tum quia ecclesia non judicat de internis, arg. c. *Tua*. 34. de *Simon*. et can. *Erubescant*. 11. dist. 32. ibi : « De manifestis loquimur, secretorum autem cognitor Deus, et judex est, » tum quia, quandiu res manet occulta, in judicio et aestimatione humana, ecclesia non censetur violata, sed

mos, *Pirhing*, h. t. n. 42, cum *Glossa* communiter recepta, contra Sa §. *Ecclesia*. Basiliū Ponticum. Ratio est, quia licet hæc copula de se sit licita, est tamen illicita respectu loci sacri, arg. c. 1. de *Immunit*. *Eccles*. et c. 2. eod. in 6. Nisi adsit aliqua necessitas, et urgeat periculum incontinetiae, ut contingere solet, si conjuges tempore belli, vel ex alia ratione diu cohabitare debeant in templo; doctores citati, et communis aliorum passim fatentium, in tali casu ecclesiam copula conjugali non violari.

21. Ac per sepulturam excommunicati, aut infidelis, vel infantis non baptizati. — IV. Violatur ecclesia, si in ea sepeliatur excommunicatus vitandus, videlicet publice denuntiatus, aut notorius clerici percussor; aut infidelis, vel non baptizatus, juxta dicta supra tit. XXVIII. de *Sepult.*, n. 91. Idem ob paritatem rationis juxta communem est de infante sine Baptismo defuncto, nisi in utero matris defunctus cum matre sepeliatur; partus enim antequam edatur, mulieris portio est, vel viscerum L. 1. ff. de *Ventre inspiciendo*. Cæterum, si alii sepultura indigni (de quibus cit. tit. de *Sepult.* § 3.) in ecclesia sepeliantur, ea propterea non violatur, nec reconciliatione opus est; *Pirhing*, h. t. n. 43; *Layman*, lib. V, tract. V, cap. v. n. 8; *Zoesius*, h. t. n. 44; *Navarrus*, *Suarez*, *Engel*, h. t. n. 42, et alii. Ratio est, quia nullo iure reperitur expressum. Pœnalia autem et odiosa sine juris textu extendi, aut induci non debent, arg. c. *Is qui*. 18. de *Sentent. excomm.* in 6. Hinc *Layman*, et *Pirhing*, post *Navarrum* recte inferunt non violari ecclesiam, nec reconciliatione indigere, etsi in ea sepeliatur haereticus.

22. Ob nullum occultum delictum ecclesia polluitur. — Quæritur V. An in præfatis casibus polluitur ecclesia, si sunt occulti? Resp. negative. *Sylvester* §. *Consecratio*. 2, q. 5. §. *Tertius casus*; *Azorius*, p. II, lib. IX. cap. v. q. 2; *Barbosa*, *de Offic. et potest. episc. allegat.* 28. n. 37; *Sanchez de Matrim.* lib. IX, disp. 15, n. 10, cum *Glossa* communiter recepta in c. un. h. t. in 6. §. *Pollui*. arg. c. *Significasti de Adult*. ibi : *Publice*. Ratio est, tum quia ecclesia non judicat de internis, arg. c. *Tua*. 34. de *Simon*. et can. *Erubescant*. 11. dist. 32. ibi : « De manifestis loquimur, secretorum autem cognitor Deus, et judex est, » tum quia, quandiu res manet occulta, in judicio et aestimatione humana, ecclesia non censetur violata, sed

### § I. DE CONSECRATIONE ECCLESIAE, ET COEMETERII, ETC.

161

retinet suam bonam famam : sufficit autem, quoque modo ab initio sit, aut postea fiat notorium, notorietate nempe juris, vel facti, de qua vide lib. II. tit. XXVIII. de *Appellat*. n. 299. et *Barbosam*, loc. cit. n. 38. Ratio est, quia fama perditur, et aestimatio communis contraria subintrat.

23. Effectus pollutionis ecclesiæ, qui? — Quæritur VI. Quid importet? Item quid agendum? præserlim quomodo, et a quo reconciliatio fieri debeat, si ecclesia uno ex dictis modis polluitur? Resp. I. Quando ecclesia est polluta, non potest in ea, vel coemeterio contiguo, quis sepeliri, donec reconcilietur, *textu claro* c. un. h. t. in 6. Nec possunt ibidem Missæ sacrificia, nec divina officia celebrari, can. 1, can. *Sicut*. 14. can. *Nullus*. 43. de *Consecrat*. dist. 1. et c. fin. h. t. ibi doctores, præsertim *Abbas*, c. fin. n. 4. h. t.; *Engel*, h. t. h. t. n. 22; *Tuschus*, eod. n. 49. Quod si contrarium quis faceret, peccaret quidem graviter, irregularitatem tamen non incurreret. *Azorius*, p. II, lib. IX. cap. v. q. 6; *Abbas*, loc. cit.; *Pirhing*, loc. cit.; *Engel*, loc. cit.; *Barbosa*, *de Offic. et potest. episc. allegat.* 28. n. 54. Ratio est, quia hæc pœna nullo iure invenitur expressa, consequenter non inducenda, arg. c. *Is qui*. 18. de *Sentent. excomm.* in 6. Ex quo citati doctores eam communis ulterius contra *Lapum* inferunt, divina celebrantem in ecclesia violata nec alii pœnæ subjacere, quod idem diximus in *Theologia nostra moralis*. tract. XIV, dist. 5. n. 120. Verum talem saltem suspensionis pœnam incurrire, si in hujusmodi Ecclesia celebrat, probabile videtur, nou quidem argumento *Lapi*. ex c. *Episcoporum. de Privileg.* in 6. desumpto; uti contra eumdem bene demonstrant doctores citati; sed ex can. *Nullus*. 15. de *Consecrat*. dist. 1. ubi expresse habetur : « Nullus presbyter Missas celebrare præsumat, nisi sacrificis ab episcopo locis (qualis non amplius est ecclesia violata) qui particeps de cætero vult esse sacerdotii; » id est, qui ab exercitio sacerdotii non vult esse suspensus.

24. Resp. II. « Si sacerdote celebrante violatur ecclesia ante canonem, dimittatur Missa : si post canonem non dimittatur. » Ita Rubrica Missalis tit. de *Defectibus in Ministerio ipso occurribus*.

25. Si ecclesia consecrata violatur, debet statim, et quidem de jure per episcopum reconciliari. — Resp. III. Quando ecclesia aliquo

ex præfatis modis polluitur, debet, quamprimum fieri potest, reconciliari, arg. c. fin. h. t. ibi : « *Protinus*. » Ratio additur, « Ne divine laudis organa suspendantur. » Et quidem, si ecclesia prius erat consecrata, non potest ab alio, quam episcopo loci vel ex ejusdem commissione, ab alio episcopo reconciliari, ita ut episcopus hoc munus sacerdoti alicui committere non possit. Communis ac certa, *textu claro* c. *Aqua*. 9. h. t. ibi : « *Aqua* per episcopum benedicta ecclesiam reconciliari posse per alium episcopum non negamus, per sacerdotes simplices hoc fieri, de cætero prohibentes, non obstante consuetudine, etc. quæ potius est corruptela. » Ratio subjungitur « quia licet episcopus committere valeat, quæ jurisdictionis existunt, quæ ordinis tamen episcopalibus sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare. » Debet autem reconciliatio fieri « aspersione aquæ cum vino et cinere (atque sale juxta Pontificale Romanum) benedicte, » c. 4. h. t. per episcopum, cit. c. *Aqua*. 9. h. t. ut proin aqua a sacerdote benedicta non sufficiat.

26. Ex commissione, vel privilegio Papæ, (non item episcopi) potest reconciliatio fieri a simplici sacerdote. — Resp. IV. Ex commissione, aut privilegio summi Pontificis potest reconciliatio ecclesiæ (quæ prius erat consecrata) aliquo ex præfatis modis pollutæ, fieri etiam a simplici sacerdote. *Barbosa*, *de Offic. et potest. episc. allegat.* 28, n. 64. *Abbas*, in c. *Aqua*. 9, h. t. n. 1. et 8; *Azorius*, loc. cit. q. 6; *Roderiquez*, tom. I. *Quæst. regul.* q. 19. a. 6; *Pirhing*, h. t. n. 20, cum communi. Ratio est, quia licet Papa non possit potestatem quæ ordini ex jure divino est annexa, concedere alteri non habenti talem ordinem, v. g. non potest sacerdoti simplici dare potestatem conferendi ordinem presbyteratus, nec diacono potestatem consecrandi corpus Christi; potest tamen alteri concedere potestatem ordinis annexam ex jure duntaxat humano, qualis est potestas reconciliandi pollutam ecclesiam, quæ prius erat consecrata, uti post *Glossam* communiter receptam in can. 1. dist. 95. §. *Concedimus*, bene docet *Abbas* in c. *Aqua*. h. t. n. 8. (ADNOTATIO XXXII.)

27. Tale privilegium pro suis ecclesiis habent fratres minores. Diets, quid? — Porro tale privilegium a Leone X concessum habent nostri ordinis superiores, non tantum generales, et provinciales, sed etiam cus-

todes, et guardiani, vi cuius ecclesias sibi subjectas quomodocumque violatas (etiam prius consecratae) reconciliare possunt, et quidem aqua per ipsosmet benedicta, quando episcopus distat duabus dietis (una dieta continet viginti millaria Italica, iuxta Glossam in c. Nonnulli. 28, de Rescript. ¶. Ultra duas dietas. arg. L. III. de Verb. signif. quæ quatuor, vel quinque circiter Germanica efficiunt). Si vero duabus dietis non distat, aqua per episcopum benedicta, prout videre est in compendio Privilegiorum ¶. Benedicere, atque notat Roderiquez, loc. cit.; Barbosa, loc. cit.; Engel, h. t. n. 26; Sannig, h. t. cap. III. et alii. Addit Roderiquez, quem sequitur Barlosa, et aliis posse religiosos dicto privilegio reconciliandi ecclesias aqua per ipsosmet benedicta uti, non tantum quando Sedes episcopi ordinarii distat duabus dietis ab ecclesia polluta, sed etiam quando episcopus alias abest, aut interveniente morte, renuntiatione, aut depositione non existit. (ADNOTATIO XXXIII.)

28. *Si ecclesia non consecrata, sed tantum benedicta polluitur, potest et debet statim a sacerdote quavis communi aqua lustrali.* — Resp. V. Si polluitur ecclesia, quæ prius solemniter nunquam fuit consecrata, sed tantum simpliciter benedicta, aut sola auctoritate episcopi, vel alterius ad divinum cultum deputata, data licentia, quod in eadem divina celebrari valeant, tunc potest a quovis sacerdote simplici, nulla petitia ab episcopo licentia, per aspersionem solius aquæ communis benedicta, seu lustralis reconciliari denuo. Communis ac certa, textu claro c. fin. h. t. ibi : « Si ecclesia non consecrata fuerit, aqua protinus exorcizata lavetur. » Imo debet statim etiam irrequisito episcopo, a rectore ecclesiæ, vel alio sacerdote modo dicto mundari, ut cit. c. advertunt doctores, consideratione verbi *Protinus*. Ratio ibidem habetur, « Ne laudis divine organa suspendantur. » (ADNOTATIO XXXIV.)

29. *Cœmeterium consecratur, polluitur et reconciliatur eodem modo, quo ecclesia.* — Quæritur VII. Quid juris de consecratione, et pollutione cœmeterii, ac reconciliatione ejusdem? Resp. I. Cœmeterium eodem modo, et ab iisdem consecrari, pollui, ac reconciliari potest, et debet, quo ipsa ecclesia. Sylvester, ¶. *Cœmeterium.* q. 1; Pirhing, h. t. n. 30. cum communis, arg. c. Consuetuisti. 7. h. t. et c. un. h. t. in 6. Pate

etiam ex Pontificall Romano, vi cuius eodem ritu consecratur ecclesia et cœmeterium, quamvis etiam separatum cœmeterium consecrari valeat, ac subinde soleat.

30. *Polluta ecclesia polluitur cœmeterium, sed non e contra.* — Resp. II. Illud specialiter advertendum, quod, « si ecclesiam pollui contingat, ipsius cœmeterium quoque, si contiguum sit eidem, censeatur esse pollutum; unde antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis sepeliri; secus si remotum fuerit ab eo. Non sic quoque in casu converso sentimus, ut videlicet polluto cœmeterio quamvis ecclesiæ contiguo, debeat ecclesia reputari polluta, ne minus dignum, majus, aut accessorum principale ad se trahere videatur. » sunt verba c. un. h. t. in 6.

## § II.

DE CONSECRATIONE, ET EXECRATIONE ALTARIS :  
UBI ETIAM DE CONSECRATIONE, ET BENEDIC-  
TIONE CALICIS, CAMPANÆ, VESTIUM, PARA-  
MENTORUM, ET ORNAMENTORUM, AD ECCL-  
ESIAM, VEL MISSAM SPECTANTIUM.

31. *Altare aliud fixum, aliud portatile, seu mobile.* — Quæritur I. Quid juris de consecratione, et execratione altaris? An nempe, a quo, et quomodo consecrari possint, et valeant? Item quomodo execrentur, seu consecrationem amittant. Ante responsonem notandum, duplex esse altare, unum fixum, seu stabile, alterum mobile, seu portatile. Fixum est, quod alicui loco immobiliter affixum, constanter in eodem manet loco; cujusmodi altaria ordinarie sunt in ecclesiis. Mobile seu portatile est, quod pro commoditate vel necessitate sacerdotis, aut aliorum hinc inde moveri, et portari potest, ac solet: et propterea etiam altare viaticum pro commoditate scilicet viatoris, seu itinerantis vocatur, c. fin. de Privileg. in 6. Debet autem utrumque saltem in superiori parte esse lapideum, can. Altaria. 21. de Consecrat. dist. 1. ibi : « Altaria, si non fuerint lapidea, non consecrentur. »

32. *De jure communi solus episcopus consecrat altaria.* — Resp. I. Loquendo de jure communi solus episcopus altare consecrare potest, ac debet, ita ut alicui sacerdoti ordinem episcopalem non habenti, hanc potestatem committere non valeat. Communis ac certa ob clara jura can. Quamvis. 4. dist. 68. ibi : « Nec ecclesias, nec altaria conse-

crare licet presbyteris. » Concordat can. Nullus. 25. de Consecrat. dist. 4. Nec potest potestatem consecrandi altare aitri committere episcopus. Barbosa, de Offic. et potest. episc. allegat. 27, n. 33; Azorius, p. I, cap. XXVII, q. 4. et communis aliorum. Ratio est, quia consecrare altare pertinet ad potestatem ordinis episcopalis, arg. can. Quamvis. 4, dist. 68, quam episcopus sacerdoti simplici committere non valeat, c. Aqua. 9. h. t. Potest autem episcopus in una missa pluria altaria unius, non item diversæ ecclesiæ consecrare, c. Cum sis. 5. h. t. ibi : « Noveris, quod plura in una ecclesia, altaria simul poteris consecrare, » et ibi Abbas, n. 2. et doctores communiter. Quomodo autem, aut quo ritu consecratio altaris fieri debeat, vide in pontificali.

33. *Ex commissione, vel privilegio Papæ, etiam non episcopus.* — Resp. II. Ex privilegio, vel commissione Papæ etiam simplices sacerdotes consecrare possunt altaria. Azorius, loc. cit. q. 4; Barbosa, de Offic. et potest. episc. p. II, allegat. 27, n. 23, cum communis probatur ex dictis n. 26. ubi diximus privilegio Papæ posse simplices sacerdotes reconciliare ecclesias pollutas. (ADNOTATIO XXXV.)

34. *Non tamen consuetudine, aut præscriptione.* — Resp. III. Nulla tamen consuetudine, aut præscriptione etiam immemoriali potest simplex sacerdos, vel alius ordinem episcopalem non habens, acquirere potestatem consecrandi altaria. Azorius, p. I, lib. X, cap. VII, q. 5, dicens esse unam omnium sententiam; Abbas, c. Quanto. 4. de Consecrat. n. 1; Barbosa, ac doctores communiter, arg. c. Quanto. 4. de Consuetud. Ratio est, quia, ut dicitur in Summario. cit. c. Quanto. de Consuetud. : « Consuetudo non potest operari, ut clericus episcopus possit exercere ea, quæ sunt reservata (seu annexa) ordinis episcopali : » sive deinde jure divino, sive humano pertineant ad potestatem ordinis episcopalis, at cum communis aliorum bene observat Pirhing, de Consuetud. n. 90. arg. cit. c. Quanto, ubi reprobatur consuetudo, vi cuius sacerdotes conferabant confirmationem: cum tamen hanc conferendi potestas ex sola dispositione et lege ecclesiastica humana, et non divina pertineat ad ordinem episcopalem; hoc ipso quod alias Papaæ eam clericis non episcopo conferre haud posset; prout tamen facit.

35. *Possessionis incapax non potest introducere consuetudinem aut præscriptionem.* — Dices, quæ sunt acquisibilia a privilegio, sunt etiam acquisibilia consuetudine; atqui potestas consecrandi altaria potest acquiri privilegio, juxta dicta n. 33. ergo etiam consuetudine. Resp. majorem universaliter non procedere, et præcipue tunc non quando consuetudinem introducere volens, sine privilegio est incapax possessionis rite exercendi actus, quibus consuetudo introducitur; cum sine possessione non currat præscriptio, c. 3. de Reg. jur. in 6. et quod est nullum, nullum producat effectum c. Illud. de Jurepatronat. atqui clericus non episcopus sine privilegio est incapax rite exercendi actum reservatum soli ordini episcopali, arg. cit. c. Quanto. ergo. Et quamvis per privilegium fieri possit capax, nequit tamen id fieri consuetudine, uti citati doctores, et alii communiter observant ob dicta jura. Confirmatur a pari, quia ex eo, quod laicus sit incapax conferendi beneficium, nulla consuetudine etiam immemoriali potest capax fieri, aut acquirere potestatem illud conferendi; licet ex privilegio capax fieri, et potestatem illam acquirere possit: pariter licet simplex sacerdos per privilegium possit acquirere potestatem conferendi minores, ac confirmationem, non tamen potest eam acquirere consuetudine, c. Quanto. de Consuetud. quia est incapax possessionis, quæ incapacitas per solum privilegium, non vero per consuetudinem tolli potest. Vide etiam dicta, lib. I, tit. IV, de Consuetud. n. 81, et seqq. Hinc caute legendus, et minime sequendus est Engel, h. t. n. 9. cum Lauret. de Franch. p. II, q. 28, n. 3, qui contra communem, et torrentem doctorum, atque ipsa jura docere videtur, posse consuetudine acquiri potestatem exercendi ea, quæ sunt ordinis episcopalis.

36. *Execrari et pollui altare sunt diversa, et polluta ecclesia polluantur altaria ejusdem.* — Quæritur II. Quibus modus polluantur, et execretur altare, ita ut nova consecratione indigeat? Et an polluta, vel execrata ecclesia, etiam execretur, et polluantur altare, ac e contra? Ante responsonem nota, aliud esse pollui, aliud execrari ecclesiam, vel altare. Pollui enim dicitur, si fit unus ex easibus supra n. 45 allegatis; execrari vero, seu consecrationem sine pollutione amittere dicitur, quando sine aliquo ex dictis casibus consecrationem ex eo amitterit, quia comburitur